

homines, sed duas arbores prope consistentes. Tertio, angelus Hebræos duxit per desertum: idem fecit exercitui Christianorum ad terram sanctam recuperandam pergenti anno 1144. angelus albo equo insidens et rubrum vexillum gerens, ducensque eos per viarum compendia in deserto ad aquas et stationes commodas, donec hostium insidias evaderent et Jerosolymam devenirent, apud Guil. Tyrium, l. XVI. belli sacri, cap. XII. Quarto, manna de cælo Hebræis pluit: idem accidit anno Domini 418. Honorio et Theodosio imperatoribus, dum in Balearibus insulis plurimi Judæi ad Christi fidem accederent, ut scribit Severus Minoricensis episcopus, epistola ad Evodium: item decem millibus martyrum in histor. eorum manuscripta apud Serar. in cap. V. Jos. Quinto, aqua illis de petra fluxit: abbas etiam Theodosius aquam de petra eduxit, postquam virga eam percussit: inde fons perennis ad vicinum monasterium deductus aquam illi præbuit, teste Theodoro in Philotheo, cap. X. idem legitur fecisse S. Benedictus. Sexto, divisum illis mare rubrum et Jordanes: stagnum etiam suis precibus exsiccavit Gregorius Thaumaturgus, sic ut ibi silvæ, prata et agri deinceps fuerint, apud Gregor. Nyssen. in vita. S. Birgitta inundantem Romæ Tiberim intra alveum suum se recipere coegit, ut habetur in vita S. Birgittæ abbreviata. Septimo, Hebræorum vestes in deserto non obsolescebant: similiter nec vestes S. Apollonii abbatis, qui fuit pater quingentorum monachorum apud Pallad. in Lausiac. c. LII. Octavo, in Josue gratiam solstitit: idem fecisse legitur in gratiam Mutii abbatis, in vitis pp. et Marulo. Nono, ros præter unum vellus, totam aream texit et mafeceit: idem renovatum in S. Bernardi epistola, cum sub dio scriberetur, subitusque circumcirca imber decideret, neque tamen charta complueretur, apud Baron. anno 1125. Decimo, David araneæ tela (ut volunt rabbini) defensus in spelunca a Saule: similiter S. Felix Nolanus inter duos parietes a persecutoribus. Undecimo, nubes implevit tabernaculum Moysis, ut nemo ingredi posset: idem factum in templo Romæ dedicato, ea urbis regione, quæ suburra dicitur, scribit S. Greg. III. dial. c. XXX. Duodecimo, ignis sacer divinitus Hebræis accensus: similiter in prædicti templi lampadibus apud Gregor. ibid. Decimo tertio, per corvum pastus Elias. Paulus item eremita, per annos sexaginta. Decimo quarto, Elisæus absenti et mentienti servo præsens erat: et S. Martinus discipulo suo Briccio sibi maledicenti: *Nonne aures meæ tibi aderant, cum hæc loquereris?* Inquit. Decimo quinto, Elisæus securim ad ma-

nubrium enatare fecit: idem prorsus in simili negotio fecisse legitur S. Benedictus. Præter hæc infinita alia contingere in lege nova veteribus illis et majora et æbriora. E quibus omnibus discimus quanta sit eminentia christianæ religionis, quantumque beneficium, esse Christianum seu membrum Ecclesiæ in nova lege, S. Gregorius Nazianzenus, orat. III. scribit explicante Billio, num. XCVI. « Sicut juxta Pythium oraculum equa Thessala reliquis omnibus antecellit, et mulier Spartana omnibus aliis mulieribus, et viri Siculi omnibus viris: ita etiam Christiani in religiosis ritibus atque sanctionibus mortales omnes antecellunt ac principem honoris locum merentur. » Tribunus ille, qui flagellari Paulum jusserat, maximi honoris loco ducebat esse civem Romanum, eamque dignitatem multa pecuniæ summa se comparasse ait, cumque audiisset Paulum esse civem Romanum, statim solvi, esseque a flagris immunem voluit, Act. XXII. si tanti olim erat esse civem Romanum, quanto pluris erit esse Christianum et Ecclesiæ Christi civem? Hoc enim quid aliud est, quam esse civem cæli? Nam ut ait apostolus ad Hebræos fide Christi imbutos, cap. XII. adeoque ad omnes Christianos: *Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem et multorum millium angelorum frequentiam et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis.*

Quare agamus imprimis, dilectissimi, immortales Deo gratias, qui non terrestres Romæ, sed cælestis Jerosolymæ, nec veteris synagogæ, sed novæ Christi Ecclesiæ cives et membra sumus. Quam quidem dignitatem non ære nostro comparaverimus, sed alieno obtinemus, incomparabili sanguinis Christi pretio. Deinde, demus operam ut hoc nomine dignos nos exhibeamus, quo tandem e suburbio, quod est Ecclesia militans, gradum faciamus ad ipsam civitatem nostram, quæ est Ecclesia triumphans.

CONCIO III.

PECCATA ETIAM VENIALIA PRO VIRIBUS VITANDA.

I. Quia animam macula abstergunt. — II. Privant hominem multis bonis. 1. Concessis interdum gratiis. 2. Concedendis. 3. Profectu spirituali. — III. Disponunt ad graviora peccata. — IV. Quia obligant ad penam. — V. Quia magnus Deus qui iis offenditur. — VI. Quia si non magna saltem multa sunt.

THEMA.

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Matth. V.

Scribit p. David in viridico Christiano, cap.

XCIII. quemdam, qui in vita mente captus fuerat, post mortem domino suo apparuisse, et de statu suo interrogatum, respondisse. *Rigide computatur et nihil remittitur.* Si nos hæc stult, sed jam tum sapientis et experti vox non terret, auditores; terreat nos vox Christi sapientissimi, qui in hodierno evangelio profecto illius fatui vocem voce sua confirmat. Quam enim putatis, rigide ibi computabitur, quam nihil remittetur? Si quis irascitur fratri suo, reus erit iudicio? Si qui dicit *raca*, reus erit concilio? Qui dicit *fatue*, reus erit gehennæ? Certe nos hæc peccata vel nulla vel exigua et venialia reputamus; et interim tamen audimus, quam gravia supplicia illis sint decreta. Et vero qui hoc dicit, ipsa Dei sapientia est, imo iudex ipse. Ergo, auditores, redeamus ad libellum cordis nostri et nobiscum computemus ipsi, num quid gravioris errati ibi commiserimus. Nunc vero audiamus quantopere vitanda sint venialia etiam peccata.

I. Vitanda venialia, quia animam macula aliqua aspergunt; quamvis non omnino obscurant et conspurcantque, ut faciunt mortalia. Mortale peccatum lepræ comparatur, veniale psoræ seu scabiei. Illud instar lepræ hominem omnino abominabilem facit; et a communitate excludit justorum; hoc vero instar scabiei non excludit quidem hominem a congregatione justorum, nec omnino abominandum facit. Primo tamen, uti scabies horrorem aliquem parit sanis, ut ægre eum scabioso edant, bibant et cubent; ita peccata venialia si crebra et graviora sint, horrorem pariunt bonis et conscientiosis, ut non sine molestia et onere cum illis conversentur. Imprimis vero principes viri uti in aula sua non libenter habent aut vident coram se scabiosos (sic enim et Nabuchodonosor præcepit seligi sibi pueros decoros, in quibus nulla esset macula): ita ejusmodi scabies imprimis offendit oculos Dei, ut ægre tales aspiciat.

Secundo, uti scabies homini prurimum et molestiam affert, necnon pudorem et pedorem aliquem; ita peccata venialia, si studiose et dedita patrentur opera, non strangulant quidem mentem, relinquunt tamen in homine amaritudinem aliquem et pudorem: ut minus quietus et tranquillus in animo suo esse possit, velletque ea occulta, et tecta esse. Illa vero errata, quæ ex infirmitate tantum vel inadvertentia, aut etiam contractis habitibus procedunt, generant in homine saltem confusionem et sui dispiciantiam, adeoque pedorem aliquem.

Tertio, uti scabies lepræ aliquatenus est similis; unde Levit. XIII. debuit sacerdotum iudicio discerni a lepra: ita peccata venialia sæpe

dubia sunt, et sunt interdum mortalia, quæ putantur venialia. Idcirco S. Gregorius, III. p. pastor. admon. XXXIV. ait certa quadam consideratione majus periculum esse culparum minorum, quam majorum: *Major enim quo citius, quia fit culpa, agnoscitur, eo etiam celerius emendatur; minor vero, dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo et securius in usu retinetur.* Jam vero sicut psora frequens saltem aut continua jure timetur ne sit species lepræ: ita multo magis timenda sunt venialia, ne forte mortalia sint, quæ ejiciant nos a nuptiis cælestibus in tenebras exteriores.

II. Privant hominem multis bonis. Primo, concessis interdum gratiis, uti fassus est S. Martinus episcopus imminutam sibi fuisse virtutem expellendis dæmonibus, propterea quod aliquando cum Ithacianis ad horam licet et coactus, ut aliorum salutem consulere, communicaverit, in ordinatione Felicis episcopi Trevirensis, Sulp. Severus, l. III. dial. Minuit etiam et restinguit fervorem charitatis, et enervat vires animi. Ob quam causam potissimum timenda venialia peccata servo Dei, dicebat S. Laurentinus Justinianus. Lethale peccatum est veluti mors, veniale velut morbus: lethale velut securis ad radicem admota, veniale velut si arbori corticem detraheres; quæ inde quidem non emoritur, detrimentum tamen patitur.

Secundo, privant concedendis, uti gustu in oratione aliisque Dei servitiis: auxilio et influxu spirituali ad vincendas tentationes et comparandas virtutes. Tametsi enim Deus dat omnibus gratiam sufficientem ad superandas tentationes, etc. cum qua possunt, si velint, vincere; non dat tamen omnibus superabundantem et efficacem, cum qua infallibiliter vincunt. Hac vero speciali gratia indignos sese faciunt, qui non curant Deum venialibus offendere. Quales enim nos Deo exhibemus, talem se nobis Deus exhibet et remetitur nobis. Ergo si vitemus graves tantum offensas, cum vitare possimus etiam leves, dabit etiam Deus levorem tantum gratiam, non superabundantem.

Tertio, profectu spirituali, sicut onus retardat equum. Distrahunt enim mentem ad extranea et a Deo avocant. Calor natus ad membra externa diffusus, stomachum destituit, unde cruditates, indigestiones et morbi: ita si cor humanum per affectus inordinatos effundit se ad res creatas, mentem a Deo amoremque avocant, adeoque profectum impedit.

III. Disponunt et trahunt hominem paulatim ad graviora, et denique ad mortalia: *Qui enim spernit modica, paulatim decidet,* ait Eccl. cap. XIX. Primo, quia qui sine horrore ac metu perpetrat minora mala, paulatim crescit au-

dacia ut nec majora timeat designare. Sic fur incipit a rebus leviculis, tum progreditur sensim ad pretiosa, tandem omni metuposito, vim etiam adhibet et ex furto vivit: « Sic in Juda, inquit S. Chrysostomus, homil. LXXXVII. in Matth. maximum prodicionis malum concrevit; nisi enim putasset parvum esse pecuniam inopum surripere, in tantam protervitatem non devenisset; Judæi quoque nisi putassent inanis gloriæ delictum minimum esse, usque ad eadem Christi lapsi non fuissent. Hac via omnia scelera fieri videbis. Nemo enim repente ad extremam impietatem insiliit. Habet quippe insitum quemdam animæ pudorem atque in-natum, quem subito calcare atque projicere non potest, sed sensim atque paulatim ex negligentia perit. » Quam modicus circa Hercyniam silvam Danubius, et quam magnus circa Hellespontum? Quantum sæpe ex scintilla neglecta incendium?

Secundo, quia dum negligentia nostra volumus vitare leviora mala, Deus subtrahit nobis gratiam, qua præservemur a gravioribus, et juste quidem: Juxta quem sensum interpretantur id Apoc. III. *Quia tepidus es, incipiam te evomere.* Incipiam, ait, quia per hanc oscitantiam, qua homo sciens ac prudens errat, Deo nauseam quodammodo creat, ne in posterum illum adjuvet, et ita demeretur gratiam efficacem, sine qua labetur gravius et demum ex ore Dei evometur.

Tertio, quia per hoc dæmoni aditum præbeamus gravius nos tentandi, et de lapsu in lapsum impellendi. Pharao petivit, ut vel pecora tantum, aut parvuli Hebræorum remanerent in Ægypto, ut hac illecebra illecti retraherentur et ipsi: ita dæmon quærit ut vel leviora præcepta, quæ sub mortali neminem obligant, transgrediamur, quo videlicet totos aliquando illaqueet. Bene igitur monet Sapiens, Cant. II. *Capite nobis vulpes parvulas*, id est, leviores culpas, quæ demoliuntur vineas. Vulpeculæ annosæ difficulter capiuntur, ob nimiam suam astutiam: parvulæ non item.

IV. Quia obligant hominem ad pœnam sive in hoc sæculo, sive in purgatorio luendam; ubi imprimis homini ad tempus janua cœli præcludit. Parva res est vectis, fores tamen tibi præcludit, ut intrare nequeas. Hoc faciunt venialia errata. Si quis rex desponsasset sibi puellam, et cum dies nuptiarum adesset, præciperet sponsam detrudi in tetrum carcere et catenis alligari ferreis: haud dubie diceremus magnum quid deliquisse sponsam. Hoc facit animæ sibi desponsatæ Christus; quam, si vel unico veniali peccato maculata sit, post mortem non introducit ad speratas

nuptias, sed in carcerem purgatorii prius detrudit. Deinde, ad pœnam sensus rapiunt. Ideo enim apostolus, I. Corint. III. vocat ea lignum, fœnum, stipulam, quia ardebunt in purgatorio et temporario illius igni dederunt. Et quæ remadmodum in visione dixit angelus Fursæo, apud Bedam, I. III. historiar. XIX. *Sicut quis ardet in corpore per illicitam cupiditatem: ita solutus a corpore ardebit per debitam pœnam.* Nec vero eam levem existimes, audi S. August. in Psalm. XXXVII. *Ignis ille gravior erit, inquit, quam quidquid homo pati potest in hac vita:* audi S. Bernardum de obitu Humberti: *Quid hic negleximus, ait, illic centupliciter reddemus.* Adverte etiam quam graviter puniverit Deus venialia errata in hoc sæculo. Nonne dubietatem Zachariæ de angeli prædictione punivit vocis ademptione? Luc. I. *Annon audisti, ait S. Chrysost. in epist. ad Galat. c. I. quod is qui in veteri quoque testamento sabbato ligna collegerat, unicuique mandatum, nec id maximum transgressus, extremo affectus est supplicio?* Num. XV. *Quodque Oza, quoniam arcam aliqui subvertendam fulcit e vestigio, mortuus est?* Nonne Nadab et Abiu filii Aaron devorati sunt ab igne præcise quod ignem alienum, id est, profanum obtulerint? Levit. X. Nonne vir Dei et propheta occisus est a leone, jussu Dei, eo quod deceptus ab alio propheta in ejus domo cibum sumpserit contra Dei mandatum? III. Reg. XIII. Nonne Moyses et Aaron ob levissimam culpam mori a Deo jussi sunt in deserto? Deut. XXXIV. et Num. XXXIII. *Nonne uxor Loth, ob levem respectationis culpam in salis statum versa est?* Gen. XIX. Nonne ob unam S. Hilarionis in oratione distractionem permisit Deus dæmonem in ejus dorsum insilire et latera calcibus, cervicem flagello verberare? Ut scribit S. Hieronymus, in vita, capit. III. *Quod si hæc in viridi gratiæ sæculo facta sunt: in arido illo justitiæ sæculo quid fiet?*

V. Quia licet ea parva sint, magnus tamen est Deus, qui per ea offenditur. Unde S. Hieronymus, in epist. ad Celantiam scribit: « Sane nescio, an possimus leve aliquod peccatum dicere quod in Dei contemptum admittitur: Estque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quid jussu sit, quam illum, qui jussit: nec quantitatem imperii sed imperantis cogitat dignitatem. » Hoc utique considerabat S. Paula, quæ ut scribit idem Hieronymus, in ejus epitaphio, ita levia peccata plangebatur, ut eam gravissimi criminis crederes ream: Evgrius sacerdos ob unum detractionis verbum perditus et perniox dies quadraginta sub dio exegit: S. Mauritius episcopus quod pueri mortem baptismo non prævenisset, seipsum

episcopatu amovit et ad perpetuam peregrinationem condemnavit: S. Eusebius unam mentis inter arandum evagationem perpetua oculorum continentia, qua non nisi prorsum aspiceret posset, damnavit. Unde discimus non licere vel uno veniali peccato quærere salutem multorum, imò mundi totius. Est enim culpa etiam venialis, majus malum, quam sint omnia mala pœnæ in unum collecta: quia malum superioris ordinis est, quod gravitatem sumit a personâ offensa, quæ est infinite dignitatis. Hinc qui ingenui sunt animi, metuunt Deum offendere etiam in minimis, quia non respiciunt ad peccatum, quod parvum reputatur, sed ipsum Deum, qui magnus est et de minimis etiam rationem exigit: sicut contra qui hoc non curant, abjectos et ignobiles se produnt servos, qui nolunt parere Domino, nisi grandia imperet, aut stricto gladio minisve eos terreat. Lamentatur valde Isaias, cap. VI. quod cum vidisset Seraphinos Deum laudantes, non potuerit se jungere ipsis, unaque Deum laudare, propterea quod vir esset labiis pollutus, adeoque indignus, qui cum tali præsertim cœtu Deum laudaret: *Væ mihi, qui tacui, inquit, quia vir pollutus labiis ego sum.* Pollutio hæc, secundum Hier. Cyrillum et Haymonem fuit peccatum taciturnitatis, quo omisit ex tædio vel metu, insectari vitia populi et procerum, imprimis regis Ozæ, præsumptis adolere incensum. Cæterum non mortale, sed veniale tantum fuisse hoc peccatum colligitur ex eo, quod eum Deus tam sublimi visione sui et Seraphinorum dignatus sit. Ecce igitur, inquit, ita lameñatur et deplorat hoc peccatum? Ratio est, quia cum pollutione sua vidit Deum oculis suis, uti statim subdit: *Et regem Dominum exercituum vidi oculis meis, q. d. antea parvi feci peccatum meum: nunc videns Dei sanctitatem, puritatem et majestatem, ac Seraphim clamantes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, video quam impurum et horridum sit meum peccatum.* Perinde ac si simul videas tenebras et lucem, solem et cæcæam, regem et scurræm; magis tunc perspicies, quantum unum ab alio distet. Sentiant magni domini, non tantum cum verberibus, sed cum verbo etiam offenduntur. Et scimus ex Luc. VIII. Christum non solum sensisse cum a turbâ præmeretur et affigeretur, verum etiam cum tangeretur. Ideo enim quæsit: *Quis me tetigit?* Et quasi hæc aliqua injuria esset, omnes negaverunt; mulier vero quæ tetigerat eum, tremitens id confessæ est. Tangit Deum qui venialiter; premit, qui mortaliter peccat.

VI. Quia si non magna, saltem multa sunt; unde si non nocent ut fulmine, nocent saltem

ut grandine, ut de simili dixit Quintilianus, lib. VI. cap. XII. *Et si ea non times, quando ponderas: time saltem, quando annúmeras.* ait S. Augustinus. « Quid interest, (ait idem, epist. VIII. ad Seleucianum) ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur et obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, et per negligentiam derelicta atque contempta impleat navim atque submergat? » Idcirco sicut navis subinde semper exhauriri debet, ne mergatur: ita nos crebra oratione, tusionè pectoris, aquæ lustralis aspersione, recitatione orationis dominicæ, nostra discussione, confessione, jejunio et elemosyna ejicere defectus et imperfectiones nostras debemus, quæ sensim in animam illabuntur ut eam aliquando submergant: non quod multa venialia unum efficiant mortale, vel sufficiant ad inferendam mortem animæ, sed quod disponent ad mortale, ut diximus. At vero qui venialia contemnunt vel etiam defendunt, profecto non evacuam navem suam; nunquam enim dolent de admissis, nunquam proponunt ea vitare: et ita in hoc sæculo ab iis nunquam absolventur. Quantum ergo isti cumulul culpæ et pœnarum afferent secum e vita in purgatorio luendarum? Quantum lignorum acervum congerunt, ut in eo ardeant?

Quare, auditores, ne simus in hac re similes phœnici, quæ ad sui combustionem ligna comportare dicitur. Imitemur potius pelicanum, qui excitatum circa nidum a venatore, ignem alis suis extinguere satagit (Pier. lib. XX. hierogl.): exuramus hic omnem ustilem materiam, lignum, tœnum, stipulam, hoc est, opera culpabilia, ne in purgatorio inflammata pœnam nobis afferant omni terrena graviozem.

CONCIO IV.

ARS IRASCENDI SINE PECCATO: SEU, CUR, CUI, QUOMODO, QUOUSQUE IRASCENDUM.

I. Ob quæ irasci decet vel non decet. — II. Quibus non irascendum. — III. Quando convenit irasci. — IV. Quomodo: 1. Vitiis non hominibus. 2. Amore justitiæ, non proprio. 3. Cum mentis tranquillitate. — V. Quousque: 1. Non retineatur in corde. 2. Non erumpat in verba. 3. Non procedat ad verbera.

THEMA.

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Matth. V.

Terribilis apparet illa Domini sententia: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Quid enim inter homines communius et frequentius quam irasci? Et si rei sunt judicii divini quicumque irascuntur fratribus suis: quid fiet

quæso de nobis, qui toties etiam et tam facile irascimur? Annon cum discipulis Christi dicere debemus: *Quis ergo poterit salvus esse?* Matth. XIX. Sed mitigat hunc terrorem S. Augustinus, lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. XVIII. et S. Gregorius, lib. XXI. moral. cap. IV. qui volunt per iudicium hoc loco, non designari gehennam seu condemnationem, sed locum discussionis et examinis, ubi causa discutitur et defensionis locus datur. Quod si igitur rationalis et justa fuerit ira tua, nihil est quod metuas: in iudicio enim Dei absolveris, magis est quod speres illius iræ præmium. Si vero irrationalis fuerit, in iudicio condemnabere. Unde Chrysostomus, hom. XI. super Matth. hunc locum sic legit: *Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio.* Ex quo ille sic colligit: « Ergo qui cum causa irascitur, non erit reus: nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, neque iudicata stant, neque crimina compescuntur; justa ergo ira mater est disciplinæ: atque ita non solum non peccant, qui cum causa irascuntur, sed e contra nisi irati fuerint, peccant. » Hæc ille. Quare Psalm. IV. ait David: *Irascimini, et nolite peccare.* Sed hinc quæstio mox exoritur, quomodo constituta esse debeat ira quibusque ornata circumstantiis, ut rea non sit iudicii, sed potius laudabilis. Audiamus ergo.

I. Aristoteles IV. ethic. cap. V. ait: *Qua ob quæ oportet et quibus oportet, irascitur,* (adde etiam, quomodo, quando, quousque) *laudatur.* Primo igitur, cur, seu, ob quæ irasci non decet? Respondeo ob res bonas, parvas, inexploratas; si enim bonæ sint, laudem potius merentur et gratulationem, non indignationem. Propterea Dominus Magdalene defensionem suscipit contra eos qui ei indignabantur ob factam unctionem, Matth. XXVI. *Quid molesti estis huic mulieri? Bonum opus operata est in me.* Et Judæis freudentibus, quod curasset hominem in sabbato dixit: *Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato?* Graviter in hoc deliquit Caiphas, qui ob suavissimam et omni acceptione dignam domini vocem, ita excanduit et vestem suam secidit, quasi blasphemiam audisset. Et hi ex parente diabolo sunt, qui servis suis irascitur, quoties aliquid boni agunt, orant, confitentur; uti sagis facere consuevit. Hinc Judæis indignantibus quod veritatem sibi a Christo dici audirent, ait Dominus: *Vos ex patre diabolo estis.* Si parvæ, indignæ sunt, ut propter eas animus cum corpore turbetur et quasi exercitus conscribatur armeturque ex omnibus pene hominis potentiis. Certe in forensibus: *De minimis non curat prætor.* Et prodit suam infirmitatem, qui ob rem leviculam ad iracundiam exardescit. Ut enim exulcerata et ægra sunt

corpora, quæ ad tactus levissimos gemunt: ita ira ex levicula re accensa puerilis et infirmi animi est indicium, teste Senec. lib. 1. de ira. Pueris si unum chartæ lusoriæ folium auferas, totum lusum abijciunt; itaque qui ob rem levem excandescunt, pueros se ostendunt. Ad hæc qui erga levia errata vehementius quam par est, irascitur, is delinquentem non sinit inter culpam extremam et mediocrem, quid intersit, agnoscere, Stobæus serm. de ira.

Si inexplorata, magis adhuc cavendum iræ præcipitum: ne forte confundaris, et parum te prudentem demonstres, si innocentes facias reos, quemadmodum Phocion Atheniensis nuntiata Alexandri morte, non statim credidit; sed: *Si hodie, inquit, mortuus est, et cras et perendie mortuus erit,* apud Plut. Ita non statim fidendum dicentibus nos ab hoc vel illo affectos esse injuria, sed veritas exploranda. Aliquæ civitates turpiter sunt confusæ et risui expositæ, quod a longe adventantes aliquos pro hostibus habuerunt, et armati occurrere: cum illi forte supplicationem peragerent. Pari ratione confusionis periculo non caret, armare se per iracundiam contra rem nondum exploratam ac certam.

II. Quibus non irascendum? Respondeo principibus, amentibus, aut quos ætas tener vel conditio docet esse contemnendos. Nam principibus irasci periculosum est, sicut suscitare leonem dormientem. Unde Genes. XLIX. de tribu Juda sceptri dignitate et potentia cæteris præcellente ait Jacob: *Catulus leonis Juda, quis suscitabit eum,* hoc est, quis eum bello lacesere audeat? Quisquis id faxit non feret impune, ut explicat ibi Cornelius. Hinc ergo David semper cessit furori Saulis; dicebat enim in corde suo: *Aliquando incidam una die in manus Saul, nonne melius est ut fugiam et salver in terra Philistinorum? Fugiam ergo manus ejus,* 1. Regum XXVII. Cumque eum iterato deprehensum occidere potuisset, non conviciabatur, aut probris lacessebat, sed orabat et verbis placabat: linguam item premebat silentio, ne aliquando in vocem erumperet pœnitendam: unde Ps. XXXVIII. ait: *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui et humiliatus sum, et siliu a bonis, id est, a justa defensione.*

Parentibus irasci natura vetat et honor illis debitus: (nisi forte filii vel alii a parentibus iniique valde tractarentur, quo casu possent filii voce vel vultu insinuare, id sibi displicere; uti Jonathas, cum vidisset patrem vibrasse lanceam contra Davidem: *Surrexit a mensa in ira furoris,* 1. Regum XXI.) Cui rei sufficiat exemplum Absalonis, qui ob impugnatum patrem, e quo pendulus tribus lanceis est perfoctus, et quidem in corde, ut ait textus, quia scilicet corde

non odisse, sed diligere patrem debebat, II. Regum. XVIII. Tantum ergo scelus ipsi arboris rami ulti sunt, quia nimirum rami firmiter adherent arbori, velut ejus filii: Absalon vero a patre suo turpiter discessit. Certe in hodierno etiam evangelio tres acutissimas lanceas in ejusmodi filium vibrat Dominus: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui dixerit fratri suo: Racca, reus erit concilio: qui dixerit fratri suo: Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Si enim horum reus est qui talia fecit fratri: quanto magis reus erit, qui facit patri vel matri?

Amentibus irasci, amentia est; siquidem ipsi nec culpæ, nec reprehensionis capaces sunt, sed magis inde efferantur, tantum abest ut cautiore fierent: quamquam voce terri possunt, quod non est irasci proprie. Idem fere dicendum de ebriis; tametsi enim illi culpa non vacant, connivendum tamen eis, quia tunc belluæ potius quam homines sunt. Pyrrho regi cum ebrius quidam maledixisset, ab eo interrogatus, num ita dixisset, respondit: *Dixi, dicturus etiam plura si plus vini appositum mihi fuisset.* Igitur ridens Pyrrhus hominem mox dimisit. Similiter cum conviva bene potus Pisistrato maledixisset, monitus Pisistratus ut hominem puniret, respondit se nihilo pluris od id indignari, quam si quis obligatis oculis in eum incurrisset, Ælian. Eadem fere ratio de pueris et imbecillis: uti feminis, quarum injurias sufficit contemnere, quemadmodum molossi contemnunt latratus catellorum. Sic Job uxori sibi infestæ dicebat: *Tamquam una de stultis mulieribus locuta es.* Luctetia Parisiorum cum in area quadam conclusus jaceret leo, projecta ad ipsum vulpes est, quæ statim lethalem hostem sentiens ex terribilem, gannire stupendum in modum cepit, quasi deplorans sortem suam. Non se loco movebat leo; illa autem circumiens irruit, toto impetu in os ejus, a quo se devoraturum irascentiebat, strinxitque illud dentibus ut potuit, ut ex hac ultione et vulpina audacia. aliquid haberet in morte solatium, nec hoc quidem ausu temerario ad iram concitatum est animal generosum, sed tantum excussit caput et hærentem naribus infirmum adversarium tanta vi impexit in vicinum parietem ut etiam alliserit. Refert Chavassius, de prudent. l. III. cap. VII. Eadem quoque nebulonum et infamium ratio personarum, quandoquidem a brutis non procul absunt: contemnantur igitur velut indigni propter quos vel manum moveas. Usus est hæc industria Socrates, qui in vita per lasciviam calce impetitus a quodam, mirantibus quod non irasceret: *Quid facerem,* inquit, illis hortantibus ut hominem vocaret in jus: *Ridiculum,* inquit, *nam si quis sinus me calce percussisset, num diceretis mihi:*

Voca illum in jus? Rursum cuidam admiranti, quod nihil in eum commoveretur, a quo conviciis lacessebatur: *Mihi,* inquit, *non maledicit, quando quidem ea quæ dixit, mihi non adsunt.* Quemadmodum ergo si quis lippus oculorum errore deceptus Platonem appellet Socratem, et in Socratem congerat maledicta, is non maledicit Platoni, sed Socrati: sic, etc.

Pari modo non sæviendum in res ratione carentes, instar puerorum cædentium lapides in quos irruerunt, lusorum lacerantium chartas, quibus sua perdidit, canum mordentium projectos in se lapides, etc. sic enim insanum et ridiculum te præberes et brutis rebus similem.

III. Quando convenit irasci? Respondeo, quando Dei honor offenditur et peccata committuntur. Qua de re S. Chrysostomus ait: *In injuriis propriis patientem esse laudabile est, injurias autem Dei patienter sustinere nimis est impium.* Sic iratus Moyses alioqui mitissimus, occidit idololatrarum multa millia, Exod. XXXI. Phinees scortatores, Num. XXV. Elias quadringentos pseudopphetas, III. Reg. XVIII. quamquam omnia hæc fecerunt non auctoritate propria, sed divina, zelo honoris Dei inflammati. Dominus ipse cum flagello eiecit vendentes et ementes, Luc. XIX. Ad hæc: *Tum demum irasci potes,* dicebat Pastor abbas, *si a Deo timeas separari,* in vitis pp.

IV. Quomodo? Respondeo eo modo quem observabat Christus, exemplar rectitudinis omnis et perfectionis. Is vero ira non ut passione sed ut propensione usus est. Ira passio est cum hominem regit et impellit: propensio, cum ab homine regitur et rationem sequitur, velut canis pastorem, qui cum a ratione emittitur, excurrat: cum ab eadem revocatur, redeat et conquiescat. Licet vero aliquando præveniat rationem et voluntatem potest tamen ac debet ab eadem frenari et cohiberi. Unde Chrysost. hom. XXX. ad pop. Antioch. ait: « Canis est impudens ira, sed legem audire discat. Si fuerit canis in grege tam ferox, ut non obediat jubenti pastori, nec ejus vocem audiat, omnia perdita sunt: cum ovibus pascitur, sed si oves gustaverit, inutilis est; sed si te audire discat, ale canem, utilis erit contra lupos et piratas. » Hæc ille. Secundum Aristotelem ira debet esse sicut miles, non sicut dux, in castigando: nimirum ut regatur a ratione, non regat. Itaque primo, vitis irasci oportet, non hominibus. Sic Dominus, Marci III. *Circumspiciens cum ira, constrictus est super cæcitate cordis Judæorum.* quasi ipso vultu declarans iram hanc a se summa ratione susceptam. Condolebat enim hominibus, irascebatur vitis, instar medici, qui non indi-